

daos lucrare; et clarius: *Is qui sub lege sunt quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege, ut eos qui sub lege essent lucrifacerem.* Gerebat ergo se Paulus tanquam existens sub lege, cum legalia observabat: ergo simulabat quod non erat, bona intentione, scilicet, propter salutem Judæorum.

5. Tandem applicat Hieronymus hanc doctrinam ad locum Pauli ad Gal. 2, et ex ea colligit primo, Petrum nihil peccasse segregando se a gentibus propter metum Judæorum, quia id non faciebat animo servandi legalia, nec quia putaret illud sibi esse necessarium ex vi legis, sed solum per dispensatoriam simulationem, quæ sibi erat licita, ut declaratum est; et in hoc sensu ait Hieronymus usum fuisse Petrum honesta dispensatione; per vocem enim *dispensationis* non intellexit propriam relaxationem alicujus legis (ut Augustinus illum interpretari videtur), sed intellexit potius prudentem providentiam ita operandi, ut nec contra legem aliquam ageret, et infirmioribus sese accommodaret per dictam simulationem. Et confirmari hoc potest, quia si Petrus in eo facto peccaret, peccatum illud grave fuisset, aut sacrilegii, aut perniciosi mendacii, aut gravis scandali. Petrus autem tunc non potuit peccare mortaliter, cum omnes Apostoli in die Pentecostes fuerint in gratia confirmati, juxta receptam doctrinam scholasticorum, quam tradit D. Thomas in 3, dist. 12, q. 2, a. 1 et q. 24 de Verit., art. 9, in 2 arg. *Sed contra*, et ad secundam; et sensit Ambros., lib. de Benedictionib. Patriarch., c. 4, in fine, dicens: *Apostoli quos Dominus a peccatorum labe mundavit, super lac candidiores facti sunt, quos macula nulla postea fuscavit: etenim lac temporale est; gratia autem Apostolorum perpetua manet.*

6. Secundo, infert Hieronymus Paulum non vere et ex animo reprehendisse Petrum, sed pia etiam simulatione, et ex præmeditato consilio inter illos, quod inter se convenerunt, ut Petrus tanquam circumcissionis Apostolus Judæorum fragilitati condescenderet, et a gentibus in exteriori specie segregaretur; Paulus vero ei resisteret, eumque exterius reprehenderet, ut hoc modo tanquam Apostolus gentium gentibus succurrere videretur, et ita utrique, tam Judæi quam Gentiles, instruerentur, et uterque Apostolus peculiarem populi sibi commissi curam ostenderet. Et totum hoc consilium comprehendit Hieronymus sub nomine honestæ dispensationis, et illud colligit ex illo fundamento, quod Petrus non pec-

cavit. Nam si non peccavit, profecto id non ignoravit Paulus; ergo nec potuit vere illum reprehendere; ergo ex conventionem et dissimulationem. Item quia non est verisimile Paulum voluisse reprehendere in Petro quod ipse sæpius fecerat, nec videbatur etiam decens ut Petrum serio reprehenderet, præsertim in re non manifeste mala; ergo verisimilius est id fecisse ex præhabito consensu ejus. Denique quia hæc interpretatio, licet non colligatur ex textu Pauli, recte accommodatur verbis ejus. Nam quod dicit Paulus: *In faciem ei restitit*, juxta græcum legit: *Secundum faciem*, id est, in exteriori apparentia. Et illud: *Quia reprehensibilis erat*, legit etiam juxta græcum: *Quia reprehensus erat*, non ab ipso Paulo, sed a fidelibus gentibus, qui graviter ferebant factum Petri, quia non intelligebant simulationem. Denique illa verba: *Cum viderem quia non ambularent ad veritatem Evangelii*, non intelligit Hieronymus esse dicta propter Petrum, sed propter Judæos, quibus ipse condescendebat.

7. Atque hanc totam expositionem firmat auctoritate Græcorum, quorum fuit antiqua, refertque Originem, Eusebium Emissenum, Didymum, Chrys., et alios ad Gal. 2. Idem habet Chrys. hom. 36, in Acta, et l. 1 de Sacerdotio. Et eum sunt secuti Oecumen. et Theophyl. ad Gal. Apud Theodoretum vero mutila est illius loci expositio, desunt enim priora verba, et ab illis incipit exponere: *Quomodo gentes cogis judaizare*; et ideo non satis certum est quid ille senserit. In verbis autem illis: *Quoniam ergo hic quidem reprehendit, ille vero reprehensionem silentio excepit, et iis qui ex Judæis crediderant, et iis qui ex gentibus, medicamentum utile compositum est*; in his (inquam) verbis indicat medicamentum illud ex communi consensu fuisse compositum: nam ad hunc modum loquuntur alii Græci; re tamen vera mens hujus auctoris pendet ex prioribus verbis quæ desunt. Clarius sensit auctor commentariorum ad Galatas, quæ nomine Athanasii circumferuntur, et eandem sententiam supponit Cassian., col. 17, c. 2: *insinuat etiam Cyril. Alex., l. 9 contra Julian., in fine, ubi, ad Julianum calumniantem Apostolos, respondet ignorasse ipsum artificiosissimam in illis dispensationem, quam sic explicat: Non enim aliud sentiebat discipulus, sed tempestive utebatur congruis dispensationibus, etc.* Et ex recentioribus expositoribus secutus est hanc sententiam Isid. Clarus ibi, et ut probabilem defendit Adam., et ex parte se-

quitur Cajet.; similiter ex scholasticis eam probabiliter defendit Major, 4 d., 3 q., et absolute sequitur Adrian. in 4, q. 1, in princ.; et inclinatur Ferdin., Episc. Lucensis, in Adversariis Theologicis, quæsto 6, ubi inter dissimulationes quæ non sunt mendacia, ponit factum Petri et fictam Pauli objurgationem.

## CAPUT XVII.

LEGEM VETEREM NON SEMPER POST INCHOATAM PRÆDICATIONEM EVANGELII FUISSE MORTIFERAM, AUGUSTINI SENTENTIA EST, ET VERA.

1. *Limitatio Augustini tripliciter intellecta.* — Distinguit Augustinus duplicem modum servandi legalia, unus est ponendo in illis spem salutis, alius simplicior, quem vocat ex consuetudine solemnitate. De priori ergo modo docuit Augustinus semper fuisse mortiferum servare legalia ut ad salutem necessaria, seu ponendo in eis spem salutis, neque in hac assertionem potuit Hieronymus ab Augustino dissentire, nam generalius ipse hoc asserebat; et ideo illam limitationem redarguit, dicens se nescire quid sit observare legalia sine necessitate, vel spe salutis: *Nam si salutem non afferunt* (inquit), *quid observabuntur? vel quomodo, ait, salutem non afferunt, quæ observata martyres faciunt*, quod in sua Epistola scripserat Augustinus. Sed, ut supra dixi, tribus modis potest illa limitatio Augustini intelligi. Primo, ut ponere spem salutis in legalibus cæremoniis idem sit quod ab illis expectare justitiam et salutem, sine spiritu fidei Christi, et in hoc sensu semper illud fuit perniciosum, quia talis spes procederet ex existimatione, quod per litteram legis Moysi possit quis justificari, quod hæreticum est, ut docet Concilium Tridentin., sess. 6, c. 1, et can. 1, et in superioribus dictum est. Et ideo non videtur loqui Augustinus in hoc sensu, nam loquitur de modo servandi legalia, qui cœpit esse perniciosus post inchoatam prædicationem Evangelii, ut ex verbis ejus citatis constat: ille autem modus servandi legalia semper fuit perniciosus et mortiferus: nam semper continebat errorem cogitare quod littera legis ad salutem sufficeret, qui et ad Judæismum et ad Pelagianismum spectat, et ita damnatus est a Concilio Tridentino supra, et a Paulo, tota Epist. ad Rom., et aliis locis.

2. Secundo modo poterant fieri opera legis, ponendo spem salutis in illis, non ex vi legis, sed ex vi fidei et gratiæ Christi venturi, sive

salus speraretur ex vi meriti fidei per charitatem operantis, sive ex vi alicujus benignæ promissionis Dei per Christum: et hoc modo certum est non semper fuisse malum observare legem sperando salutem ex tali observatione, cum aliquando fuerit illa observantia ad salutem necessaria, et ideo etiam martyres tunc facere posset, pro illa mortem sustinendo, ut de Machabæis Ecclesia profitetur. At vero post Christi adventum et prædicationem semper fuisset malum exercere legalia, sperando ex eorum observatione salutem fundatam in fide Christi ut venturi, quia jam illa fides falsa esset, et ita usus legalium sub hac fide semper post passionem fuit contrarius Evangelio. Clarum autem est Judæos, qui credebant in Christum, vel ad prædicationem Apostolorum, vel ad prædicationem ipsius Christi, non potuisse servare legalia sub hac fide vel spe, quia hoc repugnabat fidei quam jam de Christo conceperant, ut supponitur. Poterant vero, fundati in fide viva redemptoris jam præsentis, sperare salutem saltem secundam (id est, augmentum gratiæ et gloriæ) per observationem legalium, quamdiu mortifera non fuerunt, quia pro eo tempore religiosa erat observatio. Et hoc etiam recte probat ratio Hieronymi, nam alias cur observarentur. Unde neque in contrario sensu loqui potuit Augustinus, quia ipse docet pro aliquo tempore fuisse Judæis sanctum et honestum observare legalia, et hoc modo esse interdum servata ab Apostolis: ergo negare non potuit quin per illam observantiam Apostoli mererentur gratiam et gloriam: ergo rectissime potuerunt ex hac spe illas cæremonias facere, et hoc est exercere illas ponendo spem salutis in illis, juxta hanc interpretationem, sicut potest poni in quibuscumque bonis operibus ex fide et charitate factis.

3. Tertio tandem modo poterat spes salutis poni in cæremoniis legis, tanquam in necessariis ad salutem, quamvis non per se sufficientibus aut efficacibus ad illam. Et in hoc sensu intelligitur ab Augustino dicta propositio, et Hieronymus (ut dixi) illam non improbat, sed solum sentit illam limitationem non esse necessariam: Augustinus vero illam addit, quia (ut statim dicam) censet pro aliquo tempore cæremonialia non fuisse mortifera, licet fuerint mortua: nam inde infert etiam pro tunc fuisse mortifera, si ut necessaria ad salutem fierent, quia talis observatio contineret errorem, quod legalia adhuc viverent et essent sub obligatione, sentitque jam

illo tempore fuisse perniciosum errorem. Idque colligit ex Paulo ad Gal. 5 dicente: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Quod non potuit intelligere Paulus de circumcisione quocumque modo sumpta, alias ejus propositio non fuisset pro eo tempore universaliter vera: nam ipse circumcidit Timotheum, et nullum posuit ibi obicem quominus Christus illi prodesset. Ergo loquitur de circumcisione assumpta ut necessaria ad salutem, et hoc declarant præcedentia verba: *Nolite iterum iugo servitutis contineri;* et alia quæ sequuntur: *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini,* id est, in observatione legis tanquam necessaria ad salutem. Atque ita propositio hæc Augustini verissima est. An vero sit certa de fide, ut ipse indicat, in seq. cap. commodius dicemus.

4. De posteriori autem modo servandi legalia ex religione absque necessitate, docet Augustinus non semper fuisse mortiferum. Et, ut id ostendat, supponit Apostolos non fide aut simulate, sed vere et ex animo servasse legalia pro aliquo tempore post lucem Evangelii. Et hoc est unum ex punctis, in quo maxime dissentit a Hieronymo, et cum illo contendit. Præcipua vero ratio qua nititur, et quam semper inculcat, est, quia alias talis observatio legalium mendacium vel officiosum vel perniciosum contineret; non possumus autem nec debemus Apostolis mendacium tribuere; ergo neque illam simulationem. Major patet, quia æque est mendacium, factis contra mentem aliquid significare ad decipiendum alium, ac verbis mentiri, quia tota ratio mendacii sumitur ex significatione contra mentem: nam quod fiat hoc vel illo materiali signo, verbo, scilicet, aut facto, accidentarium est. Et ideo D. Thomas 2. 2, q. 111, art. 1, simulationem dicit esse quoddam mendacium, et æque malam. Nec defuit qui diceret Hieronymum sensisse mendacium officiosum propter necessitatem honestam dictum aut factum interdum esse licitum, et ideo non dubitasse Apostolis dictam simulationem tribuere. Et idem dicitur de Chrysostomo, quia in aliis locis videtur approbare mendacium per justam occasionem dictum. Et ab illo tanquam a præceptore putatur didicisse Cassianus illam falsam sententiam de mendacio, quam citato loco late defendit.

5. *Responsio.*—Verumtamen hæc ratio sine dubio non cogit sistendo in propria et pura ratione mendacii; nam facile est simulationem illam a mendacio defendere. Et imprimis de

Hieronymo mihi non constat, quod in aliquo alio loco mendacium approbaverit, nullibi enim apud illum hoc legi aut ab aliis allegatum inveni, potiusque in Epist. 65 videtur sententiam illam in Origene reprehendere: et in præsentis puncto expresse declaravit non esse mentis suæ, Apostolis tribuere officiosum mendacium; ergo contra omnem rationem est illum invitum facere approbatorem mendacii. Assumptum patet ex d. Epist. 89, ubi ad Augustinum respondet: *Non officiosum mendacium, ut tu dicis, sed honestam dispensationem ostendentes.* Et quamvis Augustinus, in Ep. 95 apud Hieron., et 19 inter suas, replicet se non intelligere quid sit *ex dispensatione*, sive *dispensative simulare*, nisi ex dispensatione mentiri, nihilominus sine dubio non fuit illa mens Hieronymi, alioqui repugnantia dixisset: et ideo, notavi supra, non accepisse dispensationem pro relaxatione legis, sed pro prudenti administratione et cauto modo operandi. Unde etiam D. Thomas, dicta q. 111, art. 1, dixit Hieronymum usum esse late nomine simulationis pro quacumque fictione.

6. De Chrysostomo autem verum est in aliis locis videri excusare a culpa mendacium, saltem ex dispensatione Dei; nihilominus tamen in præsentis materia nunquam dixit Apostolos fuisse mentitos, ex aliqua dispensatione divina, neque in hoc sensu de dispensatione loquitur, quam *Æconomiam* vocat, quæ vox non relaxationem, sed prudentem administrationem significat. Atque eodem modo in hoc puncto loquuntur alii Græci. Imo vero etiam in aliis locis, ubi de mendacio dispensato Chrysostomus loquitur, ut homilia 53 super Genes., et Ep. 3 ad Olympiadem, in eadem significatione uti videtur nomine dispensationis, scilicet, pro speciali Dei providentia et ordinatione, nam eadem voce utitur, et dicit *dispensationem Dei fuisse implendam.* Unde cum factum et verba Jacob, ostendentis et dicentis se esse Esau, vocat *fraudem, dolum, et simulationem*, vel *hypocrisim* (ut lib. 2 de Providentia), vel etiam *mendacium*, materialiter semper has voces sumit, non formaliter. Ait enim quod credebat Jacob se duci et moveri a Deo, et ideo se committebat divinæ dispensationi, credebatque se non peccare nec mentiri. Quia, licet fortasse non omnino intelligeret mysterium, committebat se divinæ dispositioni, et juxta divinam mentem quam Dei instinctu saltem generatim concipiebat, loquebatur. Sicut homo idiota qui negat se fecisse quod occulte fecit, sciens ex testimonio

hominis docti responsonem illam posse habere verum sensum, licet in particulari ignoret quis ille sit, non mentitur, generaliter intendens illud negare, prout verum sensum habere potest. Ad hunc ergo modum pie potest exponi Chrysostomus, cum videtur approbare dispensativum mendacium. Sed de hoc alias; nam in præsentis puncto nulla dispensatio divina ad vitandum mendacium est necessaria.

7. *Ex illa simulatione non sequi mendacium.*—Probo igitur ulterius, admissa illa simulatione, non sequi necessario mendacium, quia ad mendacium duo sunt necessaria, et significatio falsa, et intentio fallendi; neutrum autem in illo facto reperitur: ergo. Major est D. Thom. 2. 2, q. 110, a. 1, et per se clara, dummodo falsa significatio intelligatur, falsam significationem esse necessariam, saltem existimatam, et intentionem fallendi, vel formalem, vel virtuales, quæ includitur in voluntate dicendi falsum, vel in voluntate exhibendi signa a quibus sit falsa significatio inseparabilis. Probatur ergo minor quoad priorem partem, quia vel considerantur illæ cæremoniæ externæ ut habentes significationem ex impositione divina (utique quatenus impositæ erant ad significanda mysteria Christi futura), vel ut habebant aliquam significationem naturalem; ut, verbi gratia, quod sic operantes erant Judæi, seu judaizantes: neutro autem modo erat falsa significatio in illis operibus, supposita bona intentione operantium. Non quidem prior (præsertim secundum sententiam Hieronymi), quia illæ cæremoniæ jam erant abolitæ et reprobata; ita revera jam non erant signa publice imposita ad significandum: ergo jam usus illorum materialiter tantum intentus non potest dici usus falsi signi, vel actionis a qua sit inseparabilis falsa significatio. Sicut si vox aliqua, publica auctoritate, mutaret vel amitteret antiquam significationem, qui eam proferret non diceretur falsum signum exhibere, etiamsi ignorantibus mutationem inde conciperent falsitatem, quia jam vox illam non significat, nec loquens illud intendit, ut supponimus; ita ergo in illis cæremoniis jam non erat falsa significatio; ergo uti illis tantum materialiter, non erat exhibere signum falsum ad placitum.

8. *Altera pars de signo naturali probatur.*—Altera vero pars de signo naturali probatur, quia naturalis significatio secundum se spectata semper est vera; nam si vera non est,

nulla profecto est, quia in re ipsa non existit, licet fortasse a videntibus cogitetur. Est enim nota et vulgaris differentia inter signum ad placitum et naturale, quod prius pendet ab humana impositione publica, vel a communi usu et sensu hominum, signum autem naturale solet maxime esse effectus respectu causæ, et in præsentis hoc tantum considerari potest: illius autem significatio pendet ex vera emanatione effectus a causa: unde si idem effectus possit ab aliis causis provenire, revera illam tantum significat, a qua vere emanat; ideoque, licet alii decipi possint putantes provenire ab aliis causis, nihilominus illud dici non potest signum falsum naturale, sed ad summum ambiguum, æquivocum, seu incertum. Ita ergo cæremoniæ illæ, ut erant opera quædam vel effectus sic operantium, naturaliter significabant eorum cogitationem vel intentionem a qua procedebant: ergo ut sic non exhibebant significationem falsam, etiamsi fortasse alii illam conciperent. Declaratur exemplo supra tacto de fuga in militia; naturaliter enim videtur significare timorem et desiderium evadendi inimicum; potest autem interdum fieri potius ex desiderio aggrediendi hostem in loco tutiori, vel cum majori commoditate et auxilio, et ideo qui sic fugit, non exhibet signum falsum, licet alii possint illud sic concipere, et falli. Ita ergo est in præsentis: nam licet illæ cæremoniæ potuerint fieri intentione judaica, et animo servandi legem, tamen etiam poterant fieri ex alia intentione, et ita erant signa æquivoca, non falsa.

9. *Altera pars de intentione fallendi probatur.*—Altera vero pars minoris, de intentione fallendi, non minus clara est, quia nec necessaria est ad illud opus, nec est ulla occasio præsumendi Apostolos illam habuisse, cum non intenderent malum suorum fratrum, sed commodum. Addo præterea aliud esse intendere alterum decipere, aliud prævidere alium fore decipiendum, et illud permittere aut velle. Primum ergo per se malum est, quia includit actionem decipientis, et ita supponit mendacium; talis autem intentio non est necessaria ad hujusmodi facta, et id o non debet præsumi nec potest in Apostolis. Posterior autem præscientia et permissio sæpe admitti potest sine ulla culpa vel mendacio, quia tunc deceptio non est activa, sed passiva, quam sibi imputare debet qui facile credit, aut judicat. Imo fortasse interdum velle et cupere ut alter decipiatur, me non decipiente,

potest fieri sine culpa, quia malitia mendacii ibi non est, cum ego non decipiam nec teneat vitare deceptionem alterius, et consequenter non est etiam ibi malitia injustitiæ, ut per se constat. Malitia autem odii proximi (quæ sola superesse posset in affectu mali ad proximum) facile vitari potest, si non ex effectu odii, sed propter vitandum majus malum, vel propter justam vindictam aut defensionem illud desideretur. Et sic facile excusantur mendacia et peccata in insidiis, et simulationibus, vel fictionibus quæ fiunt in bello justo: multo ergo facilius in præsentia potest simulatio Apostolorum excusari a mendacio, cum nec intentionem decipiendi, nec voluntatem deceptionis alienæ necessario habuerint, sed sufficiens fuerit prævisio cum permissione. Denique nec intentio virtualis fallendi potest illis tribui, quia non exercebant actus, a quibus non posset separari falsa significatio, quantum erat ex parte ipsorum, sed exercebant actus qui poterant habere aliquem usum, cum aliqua vera significatione, vel saltem sine ulla significatione falsa. Et hæc solet vocari simulatio materialis, et non formalis, et honesta fictio, qua interdum usus est Christus Dominus, et de illa etiam explicantur multa facta prophetarum et sanctorum virorum, quæ in similibus actibus a culpa excusantur, quia non falsum significabant, sed veritatem aliquam occultabant, aliam indicando vel aliquid aliud agendo ad quod jus habebant, ut etiam D. Aug., docet in libris de Mendacio et contra mend., et D. Thom., d. q. 110 et 111, qui etiam, ut dixi, hoc modo excusat Hieronymum. Igitur ex pura ratione mendacii probari non potest Apostolos non fuisse usos simulatione, exercendo legalia.

10. *Confirmatur magis Augustini sententia.* — *Objectio Augustini.* — Accedit præterea quod, etiam supposita Augustini sententia, non videtur posse negari quin aliqua simulatio in eo negotio interfuerit. Nam licet demus Apostolos fecisse illas cæremonias ex affectu cultus et religionis, ut Augustinus intendit, nihilominus non possumus dicere, secundum eundem Augustinum, illas fecisse animo servandi legem tanquam ipsos obligantem, ut ex præcedenti propositione constat. Apostoli autem, quando illas cæremonias faciebant, simulabant se observare legem tanquam illi subjectos, imo vel volebant, vel saltem permittebant hoc ab aliis Judæis, videntibus illos actus, ita putari: ergo hæc saltem simulatio in illis actionibus interveniebat. Minor pro-

batur Act. 21, ibi: *Sanctifica te cum illis, etc. Et scient omnes quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens legem.* Dicit aliquis ex Augustino supra, Judæos non solum fuisse calumniatos Paulum, quod legem non servaret, vel quod prædicaret jam cessasse, sed etiam quod illam tanquam malam rejiceret et contemneret: nam hoc significant verba illa: *Audierunt autem de te, quod discessionem doceas a Moysse*, id est, apostasiam et separationem. Hanc ergo falsam calumniam potuit Paulus ex consilio fratrum refutare exercendo legalia, et custodiendo legem, non quoad obligationem, sed quoad usum.

11. *Responsio.* — Verumtamen hoc non dicitur cum fundamento in textu, tum quia licet Judæi infideles illa mendacia sparsissent de Paulo, tamen de Judæis credentibus in Christum non est id verisimile. De illis autem solis est ibi sermo, cum dicitur: *Vides, frater, quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt, et omnes æmulatores sunt legis, audierunt autem de te, etc.* Tum etiam quia statim explicatur, quomodo Paulus prædicaret discessionem a Moysse, utique docens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi. Hoc autem non erat docere legem Moysi esse malam, sed vel jam non obligare, vel ad summum non oportere illam servare; tum denique, quia licet concedamus etiam ibi esse sermonem de falsis calumniis quæ dicebantur de Paulo, non videtur posse negari quin illi Judæi, fideles æmulatores legis, pugnarent pro legis necessitate et obligatione, et sub discessione a Moysse comprehenderent doctrinam, quod lex illa jam non obligaret Judæos; ergo totum hoc voluit Paulus ex consilio fratrum vel refutare vel occultare; ergo non potest ab illo facto excludi aliqua simulatio, ex qua alii sumerent occasionem cogitandi Paulum ea facere ex obligatione legis.

12. Et hoc confirmant verba Pauli Actor. 24, ibi: *Eleemosynas facturum in gentem meam veni, et oblationes, et vota, in quibus invenerunt me purificatum in templo.* Per quæ verba intendit se excusare, quod nihil egisset contra legem, ita se gerens ac si per legem obligaretur. Et idem colligere licet ex circumcissione Timothei, Act. 16, nam illam fecit solum ut satisfaceret Judæis, qui putabant esse necessariam homini nato ex femina judæa: nam si Paulus tunc auderet aperte docere circumcissionem non fuisse necessariam

Timotheo, illum non circumcidisset, sicut non circumcidit Titum, ad Gal. 2, quia erat pure ex gentili genere; et Paulus semper aperte docuit Gentilibus non esse necessaria legalia. Denique videtur confiteri Paulus hanc simulationem, 1 ad Cor. 9, dicens: *Factus sum iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege, ut eos qui sub lege erant, lucrifacerem*, quia non dicitur esse sub lege, nisi qui obligatur lege, licet fortasse e converso non omnis qui obligatur aliqua lege, dicatur esse sub lege. Quid ergo est fieri quasi sub lege, nisi ita se gerere ac si esset obligatus lege, ita ut ii qui sub lege erant existimare possent esse sibi similem; ergo quoad hoc erat illa quædam prudens simulatio. Et similem exercuisse Petrum satis expresse habetur in c. 2 ad Gal.; ita enim segregabat se a gentibus, ac si esset necessarium, et tamen in hoc non peccabat propter deceptionem Judæorum, sed ad summum ratione scandali Gentilium; neque Augustinus priori ratione accusat factum illud, sed tantum posteriori, ut infra videbimus; ergo ex sola ratione deceptionis vel mendacii non satis excluditur talis simulatio.

13. *Confirmatur sententia Augustini.* — *Evasio.* — *Refellitur.* — Ex alio vero capite potest ab inconvenienti probari hæc propositio Augustini contra Hieronymum, supposita alia sententia ejus, quod eo tempore jam essent mortifera legalia, vel hoc modo argumentando: quia vel illo tempore legalia, licet essent mortua, non erant mortifera, et sic absque peccato potuerunt ex animo et vere fieri, et sic non oportet simulationem fingere; vel legalia tunc erant mortifera, et sic non licebat ea simulare. Quod probatur, quia si erant mortifera, erant mala et prohibita, ergo nullo modo poterant licite fieri propter quemcumque bonum finem, quia non sunt facienda mala, ut veniant bona. Responderi potest fuisse prohibita et mala, si fierent, ut cæremonia sacra, et sub intentione cultus, non vero materialiter propter bonum finem facta, sicut supra dicebamus posse aliquem nunc tonderi aut circumcidi propter sanitatem sine ulla intentione cultus. Sed hoc non videtur satisfacere, nam imprimis tunc urget valde argumentum Augustini, quia si tunc fuisset licita talis simulatio cultus judæici, etiamsi jam prohibitus et mortiferus esset, etiam nunc esset licita, si similis occasio lucrandi aliquos Judæos occurreret. Consequens est omnino falsum, et acriter damnatur ab Au-

gustino et a Hieronymo non admittitur, nec potest ab aliquo catholico admitti, ut Augustinus ait. Sequela patet, quia non est major prohibitio legalium in hoc tempore quam in illo, si in utroque fuit mortiferus, quia semper est ex vi ejusdem præcepti. Deinde est magna differentia inter usum materiale circumcissionis, verbi gratia, propter sanitatem, et usum simulatum religiosum ejusdem circumcissionis, vel alterius similis cæremonia: nam in priori nulla est species vel mendacii vel irreligiositatis: in posteriori autem, quid sit de specie mendacii, est malitia quædam irreligiositatis, quia non solum est contra religionem colere falsum Deum, quæ dicitur idololatria, sed etiam colere Deum falso cultu, quæ est superstitio; ergo sicut est irreligiosum et intrinsece malum fingere idolatriam sine animo adorandi, ita est irreligiosum et intrinsece malum fingere superstitio-

14. *Tertio.* — Tertio, invenitur alia inordinatio in illa fictione, quia videtur contraria confessioni veræ fidei: nam postquam cæremonialia fuerunt mortifera, usus eorum ad cultum est superstitiosus secundum catholicam fidem; ergo fingere talem cultum est deficere in confessione fidei. Unde licet occultare veritatem per simulationem non sit mendacium, nec semper malum, nihilominus occultatio talis veritatis, quæ ad fidem pertineat, cum fictione contrarii erroris, est prava occultatio veritatis, quia et est contra confessionem fidei debitam, et non est sine injuria religionis christianæ. Quarto, his accedit malitia scandali. Nam si legalia erant mortifera, valde errabant Judæi, sive infideles, sive ad fidem conversi, illis utendo ad cultum Dei: videntes autem Apostolos exterius utentes similibus cæremoniis, valde confirmabantur in suo errore: ergo male faciebant Apostoli suo facto externo illos confirmando, imo et illorum errorem approbando. Et confirmatur: nam Judæus, qui nunc utitur cæremoniis judæicis ad cultum, profitetur falsam fidem; et ideo Christianus qui cum illo easdem cæremonias faceret ad fictum cultum, duplici ratione graviter peccaret, et confirmando socium in errore, et se Judæum ostendendo et profitendo: ergo hoc accidisset Apostolis, utendo fide cæremoniis judæicis, quando jam erant mortifera. Unde tandem fit ut a tali fictione non possit separari in eo casu malitia perniciosi mendacii, quia licet in aliis actibus vel rebus possit simulatio materialis separari a mendacio, ta-